



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

82. An Confessarius dans pœnitentiam fæminæ, vt nuda à se
verberaretur, vt postea accidit, sit Inquisitoribus denunciandus? Et quid,
quando videlicet Confessarius suadet fæminæ, sibi actu confitenti, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Ex Edicto DD. Inquisit. &c. Ref. LXXX. &c. 411

ut testatur Hieronymus Rodriguez in compend. quest. Regul. resol. 131. num. 3. & Antonius Sousa opusc. de Confess. sollicit. tract. 1. cap. 12. num. 1. 2. & merito quidem, quia respectu confessionis sacramenti est eadem utrobique irreverentia & injuria. Adde quod, ut notat glossa in cap. 1. de tempor. ordin. in 6. verb. Italiae, quam celebrat Panormitanus in cap. nihil. de elect. & Baldus in l. si quis furto. C. de furtis. & in l. illud C. de sacros. Eccl. tunc non efficitur extensio & ampliatio casus ad casum in poenalis, sed declaratio solum, cum utrobique per omnia sit eadem ratio, ut fit in cap. postquam. de elect. & in l. quadam. §. nummularios. ff. de edendo. Sed extensio tunc efficitur, quando casus non est omnino similis. Verum in nostro casu non solum eadem omnino, sed etiam major ratio est de solitante masculino, quam feminam: ergo merito Doctores antea asserunt hunc casum fuisse inclusum in Bullis, quod postea Paulus V. ut diximus, aperte ad tollendas Doctorum opiniones declaravit, & novissime fecit Greg. XV.

2. Notandum est tamen hic obiter, non bene Novarium in summa Bullar. tit. de sollicit. in confess. citare meam resol. 12. de denunciationibus, & resol. 26. de legib. nam in dictis locis, ut legenti patebit, ego assero in terminis Bullae Greg. XV. sollicitantes masculos esse denunciandos; solum ibi dico in terminis aliarum Bullarum, opinionem negativam fuisse probabilem, cum Doctoribus quos ibi citavi, quam sententiam nunc, ut dictum est, neque etiam teneo, non bene igitur Novarius me adduxit.

RESOL. LXXX.

An Confessarius, qui sollicitavit puerum ante Constitutionem Gregor. XV. vel feminam extra confessionem in Confessionario, aut in loco quocunque, ubi confessiones sacramentales audiuntur, &c. sit denunciandus? Ex p. 1. tract. 4. Ref. 25.

Hac quaestio difficilis est: quia quaerit, an dicta Constitutio ad facta praeterita extendi possit? Affirmativam sententiam, loquens de Bulla Pauli V. docuit Roderic. Acugna tract. de Confess. sollicit. q. 3. n. 10. & ut respondisse Suar. & Delmadam, viros doctissimos, testatur: & in terminis Bullae Greg. XV. idem docet Sanctarellus tract. de haeresi. cap. 44. n. 11. & Bonacina in var. tract. de haeresi. disp. 6. punct. 3. n. 7.

2. Sed negativam sententiam docuit doctus Portell. addit. ad dubia regular. verb. sollicitare feminas, n. 7. loquens etiam in terminis dictae Bullae Pauli V. & Fagundez ubi infra cum Christophoro Angulano, viro doctissimo, tract. de legib. lib. 5. contr. 1. n. 13. & seq. Vide etiam Mirandum in Man. tral. tom. 2. q. 25. art. 20. Et ratio est: quia nulla lex civilis, & Ecclesiastica extenditur ad puniendi delicta facta de praeterito; sed ad faciendi de futuro: nisi forte lex ipsa clavis verbis exprimat, se etiam punire praeterita, ut fecit Sixtus V. cum illegitimis, & receptione Religiosorum; & Concilium Tridentinum cum ordinatis in minoribus. Et hoc habetur expresse in cap. cognoscetes. de conf. ibi, in illis verbis: [Quoties quid novum statuitur; ita solet futuris formam imponere, ut dispendiis praeterita non commendet.] Idem expressius habetur eod. tit. cap. ult. ubi Gregorius IX. explicans quandam Constitutionem a se paulo ante editam, sic asserit: [Declaramus, non ad praeterita, sed ad futura tantum extendi, cum leges, & Constitutiones futuris certum sit dare formam negotiis, non ad praeterita facta trahi, nisi nominatim in eis de praeteritis caveatur.] Ita ibi, quo nihil clarius dici potest.

3. His ita suppositis, respondeo ad quaestum, quod stando in illa opinione, nempe, Bullas Clem. VIII. & Tom. V.

Pauli V. contra Confessarios sollicitantes feminas, non includere Confessarios sollicitantes viros, & quod in poenas dictarum incidebant tantum Confessarii, qui in Sacramento confessionis, vel ad plerumque, qui paulo ante, vel post sollicitabant poenitentem; non autem illi, qui extra occasionem confessionis in loco confessionarii, ut in loco quocunque, ubi confessiones sacramentales audiuntur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibi confessiones audire: his, inquam, ita stantibus, assero probabiliter, non esse modo supra dictos Confessarios denunciandos, si talia crimina effecerint ante promulgationem Edicti, & Bullae Gregor. XV. ubi determinat esse supradictos denunciandos: quia, ut supra diximus, dicta Constitutio non extenditur ad priora, quod satis probatum est, & docet Sylvest. verb. lex, q. 23. Malderius in par. 2. q. 96. art. 3. dub. 4. & alij. Unde puto, denunciations facienda ex vigore Constitutionis Greg. XV. adversus Confessarios sollicitantes, faciendas esse à die 10. Martij, 1624. tunc enim Panorm. dicta Bulla ab Illustrissimis Inquisitoribus fuit promulgata. Unde à tempore antecedente non tenetur quis denunciare. Et ita de Bulla Clementis VIII. in hac materia docuit, ex Societate Ies. V. Fagundez tract. 2. lib. 4. cap. 3. num. 31. & de Bulla Pauli V. etiam, ut supra, diximus, docet Portell. in addit. ad dubia regul. verb. sollicitare feminas, n. 7.

RESOL. LXXXI.

An Confessarius statim post confessionem ducens ad cellam puerum, ut Chirographum confessionis tradat, & illum sollicitet, si denunciandus?

Et quid, si Confessarius femina sibi confessa poenitentiam imponat, ut ab ipso met Confessario nuda verberetur, vel si Confessarius suadet femina, ut ipsi eo in loco verenda ostendat, &c.

Et notatur, quod actus immediatus ad confessionem comprehendit debet in obligatione ad denunciandum Confessarium, quamvis confessio non sequatur, &c. Ex p. 4. tract. 5. Ref. 11.

Affirmativè respondet Sousa in aphor. Inquis. lib. 1. cap. 34. n. 39. ita asserens: Si Confessarius sollicitet puerum à se confessum & absolutum, dum cum statim post confessionem in domum, seu cubiculum suum ducit, ut confessionis chirographum tradat, est denunciandus, quia iste casus ratione dependentiae includit confessionem; sicut si Confessarius sibi confessa poenitentiam imponat, ut ab ipso met Confessario nuda verberetur, & cum ad hoc pervenisset, manu propria; aut scutica vapulat ab ipso, vel si Confessarius suadet feminae ut ipsi eo loco verenda ostendat, quae ipsi in eadem confessione morbo affecta habere dixit. Hac ille, qui etiam n. 31. optime notat, quod actus immediatus ad confessionem conferri debet, si Confessarius sciens mulierem velle confiteri illam sollicitet, quamvis confessio non sequatur, vel quia ipsa noluit confiteri, vel quia Confessarius noluit eam audire, & hoc etiam antea docuerat Acugna q. 14. n. 8. & novissime Castrus Palaus tract. 4. disp. 9. punct. 7. ref. 44. & 45. m. 3. quod tamen intelligendum putat cum Sancto disp. 11. n. 49. quando femina vellet statim confiteri, ut infra videbitur.

RESOL. LXXXII.

An Confessarius dans poenitentiam feminae, ut nuda de se verberaretur, ut postea accidit, sit Inquisitoribus denunciandus?

Et quid videlicet, quando Confessarius suadet femina sibi

M m 2 astu

ad se confitenti, ut ipsi eo in loco vas naturale ostendat, quod ipsa in eadem confessione verbo affectum habere dixerat? Ex p. 4. tr. 5. Ref. 47.

^{Sup. confes.} §. 1. **A**ffirmative & recte respondet Soula opusc. de Confess. solic. tract. 1. cap. 18. n. 14. ubi sic ait: Duo Confessarii feminis sibi confessis hanc im-
^{ref. preterita} vers. Sicut si posuerunt poenitentiam, ut ab ipsismet Confessariis
^{ante med. a} Confessariis. nuda verberarentur, & cum ad hoc pervenissent, alte-
^{verf. Sicut si} ra manu propria Confessarii, altera vero scutica quam
Confessarius tenebat manu, vapulat ab ipso. Dubita-
tum fuit an huiusmodi actu sollicitationes in confes-
sione factae dicendae forent? & resoluta est pars affir-
mativa ac merito quidem, cum sint actus inhonesti,
qui sollicitantes, seu potius sollicitationis tentationes
dici debent. Quod sint sollicitationes in confessione,
videtur etiam manifestum, cum poenitentia confes-
sioni sit annexa per se. Ita ille, qui & optime alium ca-
sum sollicitationis ponit, quando videlicet Confessa-
rius suadet feminam sibi actu confitenti, ut ipsi in eo
loco vas naturale ostendat, quod ipsa in eadem con-
fessione morbo affectum habere dixerat, est enim hac
suasio, cum non fiat ad medicinam praestandam, nihil
aliud est quam sollicitare tentare.

RESOL. LXXXIII.

An interpretis sollicitet in confessione sit denunciandus?
Et quid, si interpret sit etiam Sacerdos? Ex p. 4. tract. 5.
Refol. 9.

^{Sup. hoc sup.} §. 1. **A**ffirmativam sententiam docet Seraph. Frei-
^{in ref. 49. §.} tas Additionator Roderici Acugna tract. de
^{Sed quid &} Confess. solic. q. 1 §. 27. ubi sic asserit. Ex praedictis no-
^{seq. & in ref.} va quaestio excitari potest, utrum laicus confessionis
^{72. §. 1. prop.} interpret, si in eodem actu sollicitet, quod facile fieri
^{fin. cursum} potest, ignorante linguam Confessario, Pontificis poe-
^{verf. Nec in-} nis subiacet; non incurrit suadet, quia is nec est Sa-
terpres. cerdos, nec huius Sacramenti Minister. Contrarium
tamen dicendum mihi videtur, tum quia in hoc casu
eademmet datur ratio, quae in Confessore hoc est abu-
sus Sacramenti, sacrilegium, antidoti remedium in ve-
nenum, sumiturque Sacramentum ut medium ad pec-
candum; tum etiam, quia interpret, licet laicus parti-
cipat aliquid de actu clavis, ut ait D. Th. in addit. ad 3.
^{par. q. 1. art. 3. in corp. & Suar. tom. 4. disp. 33. sect. 5. n. 4.}
Sub nomine igitur Sacerdotis comprehenditur live
extensive, live per participationem. Accedit quod di-
ctus laicus in tali casu secundum opinionem commu-
niorem tenetur ad sigillum & quae ac Confessarius, quia
sicut de actu clavis participat, ut diximus cum D.
Thom. participat etiam sigillationem, ex eodem D.
Thom. in 4. disp. 21. quaest. 3. art. 4. ad tertium. Ita Frei-
tas ubi supra.

^{Sup. hoc sup.} 2. Sed his non obstantibus, ego puto interpretem
^{in ref. 49. §.} non solum laicum, sed etiam Sacerdotem non incur-
^{1. prop. fin.} rere poenas sollicitantium, quia absolute non est Con-
^{verf. Nec in-} fessarius, sed potius ex parte poenitentis se tenet, &
^{terpres, & in} ita docent Ioan. Sancius in selectis disp. 11. n. 10. & 37.
^{huius Ref.} Castrus Palaus tract. 4. disp. 9. punct. 9. n. 6. & Ant. Soula
alio §. not. 1. in apbor. Inquis. lib. 1. c. 34. n. 14. ubi sic ait. Sive laicus,
sive Sacerdos interpret mulieris confitentis, qui ipsam
confitentem sollicitat, non comprehenditur in Summ.
Pontificum decretis. Ita ille, & ego quamvis Freitas in
editione novissima num. 37. & seg. suam iterum conetur
defendere opinionem. Sed noli contemnere nostram
sententiam; quam post haec scripta inveni etiam doc-
cere Fagundez de precept. Eccles. in editione novissima
pr. 2. lib. 4. cap. 3. num. 79. & iterum Soula de Confes-
solic. tract. 1. cap. 10. n. 3.

RESOL. LXXXIV.

An si laicus, vel Clericus occulte ponat se in loco confes-
sionis deputato, & inter confessionem feminam, illam
ibi sollicitet, sit denunciandus? Ex p. 1. tr. 4. Ref. 15.

^{Sup. hoc sup.} §. 1. **N**egative respondet Portel. ubi sup. in addit. ad
^{in ref. 49. §.} dub. reg. ver. sollicitare feminas, n. 14. quia Clem.
^{1. prop. fin.} VIII. & Paulus V. loquentes de audienda Confessione
sacramentalis, loqui videntur juxta communem acci-
ptionem de Confessione vera, valida, & ordinaria.
2. Sed per Constitutionem Greg. XV. Confessarii in
Confessione, sed praetextu Confessionis. Ergo non
est opus, ut ad sit vera, & ordinaria Confessio sacra-
mentaliter, sed sufficit solus praetextus. Sed his non ob-
stantibus, sub censura tamen, puto, supradictos non ef-
se denunciandos, ex vigore Bullae: quia omnes Pontifi-
ces, Clem. VIII. Paulus V. & etiam Greg. XV. impo-
nunt poenas contra Sacerdotes sollicitantes: ergo non
videntur comprehendere laicum, & Clericum; quia, ut
diximus sup. verba poenalia non sunt extendenda ad si-
miles casus. Et ita Doctores, quos supra vidimus, pro-
babiliter excusabant a denunciatione, si Confessarius
sollicitaret puerum: quia Pontifices loquebantur de
Sacerdotibus sollicitantibus feminas. Et ita etiam do-
cuit ante me Sanctarellus de haer. cap. 46. dub. an. 9.
Acugna tract. de Confess. solic. q. 13. n. 9. quicquid in con-
trarium asserat Giptius de cas. reserv. cap. 14. n. 6. Sed, an
supradicti sint ex alio capite Inquisitoribus denun-
ciandi, dicam in sequenti Resolutione.

RESOL. LXXXV.

An dictus laicus, vel Clericus saltem, quia simulavit se
Sacerdotem, si sollicitaverit feminam in confessione, qua
tamen illam absolvendo, sit Inquisitoribus denunciandus?
Ex p. 1. tr. 4. Ref. 16.

^{Sup. hoc sup.} §. 1. **N**egativam sententiam docet Rodriguez in 99.
^{in ref. 49. §.} regul. tom. 2. q. 28. art. 2. & novissime in summ.
^{1. prop. fin.} tom. 2. cap. 83. num. 3. ubi sic asserit: [El que no siendo
Presbytero confiesa, los Inquisidores le pueden casti-
gar, si absolvere al penitente, porque si solamente le
oye de Confession, y no le absolve, no puede ser casti-
gado dellos, si no del Ordinario, atento que quando sit
Greg. XIII. comete esta autoridad a los Inquisidores,
dize las siguientes palabras: *Qua procedunt contra eos,*
qui non sunt Presbyteri, si Confessiones audiant, & absolu-
tionem impertiantur. Y la razon lo dicta; porque sola-
mente oyen de Confession, y no quieren absolver, y a
tienen respeto al Sacramento pues nolo quieren admi-
nistrar, y assi no se presume contra ellos, que sien-
mal de la fe, por la qual presumpcion la Sede Aposto-
lica comete este caso a los Inquisidores. Ita Rodrig.
& post haec scripta inveni etiam hanc sententiam do-
cere Ioan. Sancium in select. disp. 11. n. 36.

RESOL. LXXXVI.

An sit denunciandus Sacerdos, qui non habens facultatem
audiendi confessiones ab Ordinario sollicitat feminam
in confessione, fingens se habere talem potestatem?
Et quid, si mala fides Confessarii, & poenitentis interve-
niant? Ex p. 2. tr. 4. Ref. 17.

^{Sup. hoc sup.} §. 1. **N**egativam sententiam docuit Portel. in addit.
^{in ref. 49. §.} ad dub. regularia, ver. sollicitare feminas, n. 13. in add.
quia